Capi uoluit laqueo mortis nostrae. & quasi in tribulatione assatus est
tempore passionis suae; Sed qui piscis assus fieri dignatus est
in passione. fauus mellis nobis extitit in resurrectione. An qui
in pisce asso figurari uoluit tribulationem passionis suae. In fauo
mellis utramque naturam exprimere uoluit personae suae.
Fauus quippe mel in cera est; mel uero in cera est diuinitas in hu
manitate; Quod ab hac quoque lectione non discrepat; Nam piscem
comedit & panem; Qui enim assari ut piscis potuit ex humani
tate. panem nos reficit ex diuinitate. qui ait. Ego sum panis
uiuus qui de caelo discendi. Assum ergo piscem comedit & panem.
ut ipso suo cybo nobis ostenderet. quia & passionem ex nostra humanita
te pertulit & refectionem nostram ex sua diuinitate procurauit;
Quod si uigilanter inspicimus. nobis quoque qualiter ad imitan
dum congruat uidemus; Sic enim sua redemptor indicat
ut imitationis uiam nobis sequentibus sternat; Ecce in cibo
suo dominus noster pisci asso coniungere fauum uoluit. quia ad delicias illos
in suo corpore ad aeternam quietem suscipit. qui cum hic tri
bulationes pro deo sentiunt ab amore internae dulcidinis non rece
dunt; Cum asso pisce fauus sumitur. quia qui hic adfliguntur
pro ueritate suscipiunt illic dulcidine uera satiantur;
Notandum quoque quod ultimum conuiuium dominus cum septem discipu
lis habuisse discribitur; Petrus namque & thomas. nathanahel.
& filii zebedei. & alii ex discipulis eius. duo cum eo fuisse memo
rantur; Quur cum septem discipulis ultimum conuiuium celebrat
Nisi quod eos tantummodo qui septiformi gratia spiritus sancti pleni fu
turos secum in aeterna refectione denuntiat. Septem quoque
diebus omne tempus hoc euoluitur. & saepe septenario numero
perfectio designatur. Illi ergo ultimo conuiuio de praesentia ueri
tatis epulantur. qui nunc perfectionis studio terrena transcendunt.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
Bodleian Libraries UNIVERSITY OF OXFORD
HESSEN Staatliche Schlösser und Gärten Hessen
Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation
Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991
© Bodleian Libraries
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/view/bodleian_mslaudmisc271/0019